

RUBRICÆ

SUMMARIUM.

**R**UBRICÆ unde dicitur, & quid sint: quomodo obligent: qualiter mutatio est circa eas peccaminosa: quale peccatum, si aliquis detur defectus, ad num. 17.

18 Assignantur quedam omissiones que sunt solum peccatum veniale: alia proponuntur que à peccato destituuntur, ad num. 24.

35 Mutare ritum missæ in Rubricis designatum an & quale sit peccatum, ad num. 39.

40 Alia ad rem, remissive.

**R**UBRICÆ quoad vim nominis, ideo sic dicuntur, quia rubro colore sæpius scribi solent. Sic Doctores communiter; indeque prodiit notabile illud quod circumfertur effatum: *Legere rubrum, si vis intelligere nigrum*. Rubricæ sunt quedam regulæ communes continentis ritus, tum in celebratione missæ, tum in recitatione officii, tum in sacramentorum administratione servandis. Sic in re Communis.

Rubricæ aliæ sunt præceptivæ, & aliæ directivæ. Præceptivæ sunt, quæ obligant in conscientia, & sub peccato ad servandos ritus in eis præscriptos. Directivæ sunt, quæ non imponunt obligationem, sed proponunt, quid sit agendum, & dicendum, vel non, per modum consilii, & instructionis. Sic in re Doctores communiter.

Sub mortali obligant rubricæ præceptivæ, quæ continent, seu notant aliquid, quod aliis ex Jure, vel ex legitima consuetudine graviter jubetur, vel ipsæ rubricæ expressè sub mortali præcipiunt. Unde earum transgressio est mortalis, nisi excuset levitas, seu parvitas materiæ, aut inadvertentia, & indeliberatio, ut contingit communiter in aliis præceptis. Communis.

Hinc omni notabilis, & gravis voluntaria mutatio, additio, & detractio circa missam, divinum officium, & sacramentorum administrationem, est peccaminosa lethaliter. Colligitur aperte ex duplici constitutione Sancti Pii V. una incipit: *Quo primum*; & in principio missalis exposita, & alia incipit: *Quod à nobis*; pro reformatione Breviarii Romani edita, & in ejus principio impressa, in quibus, ut eas legenti pater, omni notabilis, & gravis voluntaria mutatio, additio, & detractio circa missam, & divinum officium graviter prohibetur, ut ex Concilio Tridentino sess. 7. de Sacramentis in genere Canon. 13. ubi id graviter prohibetur sub pœna anathematis circa administrationem Sacramentorum, ibi: *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemnium sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à Ministris pro libito omiti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.*

Transgressio rubricarum præceptivarum ex suo genere mortalis, potest esse venialis ex duplici capite, scilicet ratione parvitas materiæ, & ratione indeliberationis, seu inadvertentiæ; Communis. Et quoad rationem parvitas materiæ, stat clarum, quia ubi est parvitas materiæ, modica reperitur offensio, seu violatio præcepti; adeoque non excedit culpam venialem: Ratione indeliberationis, seu inadvertentiæ, est etiam evidens, quia culpa mortalis non contrahitur, nisi cum plena deliberatione, seu plena advertentiâ; adeoque stultici si nulla sit deliberatio, nullaque advertentia, nulla contrahitur culpa, ita si non sit plena, sed modica deliberatio seu advertentia, solum modica, & levis culpa contrahitur.

Transgressio rubricarum præceptivarum ex suo genere levis, seu venialis potest transire in mortalem quatuor præcipue modis. Primo scilicet ratione gravi finis adjuncti; Secundo ratione contemptus; Tertio ratione scandali; Et quarto ratione periculi; Sic Doctores Communiter.

Et quidem ratione gravi finis transgressio rubrica-

rum ex suo genere venialis potest transire in mortalem, si finis transgressionis sit mortalis, ut verb. grat. Si Sacerdos partes leves missæ omittat, ut placet concubinæ, quæ petit missam brevem. Si faciat aliquid contra rubricas animo, seu sine introducendi novum ritum, & hujusmodi; Actus enim peccaminosus contrahit malitiam nedum ex objecto, sed etiam ex aliis circumstantiis, & præsertim ex fine, adeoque si finis transgressionis rubricarum sit mortaliter malus, etiam ipsa transgressio, quamvis ex suo genere levis, seu venialis, evadit gravis, seu mortalis.

Ratione contemptus transgressio rubricarum ex suo genere venialis transit sine dubio in mortalem, si fiat expresse, & absolute contemnendo potestatem Ecclesiæ, vel Papæ, aut alterius Superioris sic disponentis, quia talis contemptus, cum de se destruat auctoritatem Superiorum, & subjectionem subditorum erga illos, est gravis peccatum. Qui enim resistit potestati Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt; ut scribit Apostolus ad Romanos cap. 13. num. 2.

Ratione scandali transgressio rubricarum ex suo genere levis, seu venialis, evadit gravis, seu mortalis, quoties scandalum grave, seu mortale est, ut est, si Sacerdos, qui missam celebrat, frequenter se vertat, & curiose mulieres adstantes aspiciat, unde oriatur in aliis occasio peccandi. Vel in usu ceremoniarum ita irreverenter, & incompositè se gerat, ut apud populum notabiliter vilescant sacra mysteria; & sic de similibus. Quamvis enim aspectus curiosi secundum se, vel irreverentia, & incompositio in sacris functionibus sit solum culpa venialis, evadit tamen mortalis ratione gravis damni, quod per tale scandalum causatur in aliis.

Ratione periculi transgressio rubricarum ex suo genere venialis evadit mortalis, quoties grave periculum est incidendi inde in peccatum mortale, ut est, si quis velit celebrare sine missali cum periculo errandi in re gravi, seu celebrare velit in mari, aut in loco ventis exposito cum periculo subversionis sacramenti, & hujusmodi. Temere enim se exponens proximo periculo peccandi mortaliter, aperte demonstrat se esse paratum tale mortale peccatum committere, & non curare de æterna sua morte, quæ inde sequitur, juxta illud Ecclesiastici i. num. 21. *Qui amat periculum, in illo peribit.*

Transgressio rubricarum mere directivarum per se loquendo nullum est peccatum. Tambur. lib. 1. cap. 7. §. 2. Gobat tom. 1. tract. 3. num. 373. & alii passim, hoc enim vergit discrimen inter consilium, & præceptum, quia nempe consilium non obligat ad culpam, præceptum vero obligat ad ipsam; adeoque cum rubricæ directivæ non contineant præceptum, sed solum consilium, earum transgressio per se loquendo nullum est peccatum.

Dicitur autem notanter per se loquendo, quia in transgressione hujusmodi rubricarum mere directivarum solet intervenire culpa venialis ratione finis, seu motivi, quod inducit ad egeram transgressionem, & communiter solet esse vel negligentia, vel torpor animi, vel nimia propensio ad alias occupationes vanas, & contra rectam rationem; Finis enim rectus, & rationi conformis non retrahit ab observantia rubricarum, seu regularum ecclesiasticarum, sed potius ad ipsam conducit; Unde si sine rationabili causa negligantur, seu non observentur, quamvis sint solum directivæ, peccatur saltem venialiter. Sic Communiter Doctores.

Omittere in rubricis missam concernentibus quemcumque ritum, vel partem missæ essentialis, vel accidentalem valde notabilem, est peccatum mortale. Communis. Hinc mortaliter peccat, qui omittit oblationem panis, aut vini, consecrationem in utraque specie, elevationem Hostiæ, & Calicis, mixtionem particulæ cum sanguine, aque cum vino, totam epistolam, totum evangelium, totam præfationem, totum canonem, & totam orationem Communicantes, vel Hanc igitur, totam postcommunione, & hujusmodi. Item peccatum mortale est: omittere in eadem missa,

sicut in eodem divino officio, tot modicas partes, seu tot versiculos, ut simul constituunt materiam notabilem, quæ materia notabilis erit extra canonem, si tot verba, aut versiculi omittantur, ut ædequant quantitate integræ epistolæ, aut evangelii, & hujusmodi. Intra canonem autem secundum aliquos omissio cuiuslibet verbi, etiam unius solius, censetur materia notabilis, & culpa mortalis; ut vult Nugens in part. 3. quart. 83. art. 1. dub. 2. & alii, quos tacito nomine cit. Suarez tit. 3. de Sac. disp. 83. sect. 3. Et huic sententiæ dicunt favere quædam declarationem Sacre Rituum Cong. 11. Nov. 1615, qua decretum fuit; Regulares peccare mortaliter, si in canone missæ omittant nomen Episcopi, & ejus loco proferant nomen sui Generalis, ut referunt plures Doctores apud Dianam part. 2. tract. 14. resol. 14. ubi dicitur: *Episcopus in missa non debet substitui nomine suo, sed nomine Episcopi, cuius locum tenet.*

As dicta Sacra Congregationis declaratio intelligitur passim à Doctores in casu, quo à Regularibus omittitur nomen Episcopi ex contemptu, & ponitur nomen sui Generalis animo inducendi novum ritum, Unde si aliquis Regularis bona fide proferret nomen sui Generalis, & omitteret nomen Episcopi absque contemptu, & sine predicto animo inducendi novum ritum, non peccaret nisi venialiter. Sic Tamburin. opusc. de Sacrific. lib. 2. cap. 5. §. 3. num. 7. Garcias de Sacerdot. tract. 3. diffcult. 8. dub. 6. punct. 2. Quart. in rubric. question. proemial. sect. 3. punct. 3. vers. Ad declarationem: *Spolet. tom. 3. part. 2. cap. 6. sect. 428.* & alii plures, qui insuper dubitant, an revera authentice extet talis Sacre Congregationis declaratio.

Inter talis Sacre Congregationis declaratio, non est includendum est cum probabiliori sententiâ, quod in canone, si non destruat sensus, vel non minuat notabiliter significatio, vel representatio mysterii, omissio quatuor, vel quinque verborum non excedat culpam venialem. Si autem plura, quam quinque adveniant, & deliberate omittantur, erit peccatum mortale. Garcias loc. cit. dub. 7. punct. 2. Quart. loc. cit. vers. Dico quarto: & alii plures. Si autem destruat sensus, vel notabiliter minuat significatio, vel representatio mysterii, quodlibet voluntarie, & deliberate sic omissum verbum in canone, vel quælibet sic omissa actio erit peccatum grave: quia pertinet est, ac omittit integram orationem, & notabilem actionem; Certa, & Communis.

Unius etiam verbi omissio, si fiat advertenter & deliberate, à culpa gravi non excusatur; in hoc enim non consideranda est parvitas materiæ, sed contemptus.

Ast ego jam supra num. 9. tradidi, quod transgressio rubricarum ex suo genere venialis transit sine dubio in mortalem, si fiat expresse & absolute ex contemptu, ut ibi, & hic sub cit. num. 16. nequaquam dico quod dicta omissio fiat advertenter, & deliberate, sicque excludit formale perfectum & absolutum contemptum, qui certe, ubi addesset, etiam omissio unius verbi esset mortalis, ut ego ipse subiungo immediate sub num. 17. Ast ubi adsit solum quiddam levis imperfectus & secundum quod contemptus non tendens absolute in destructionem potestatis legislativæ, nec minuens significationem, vel representationem mysterii, omissio verb. grat. solum nominis unius, vel alterius Sancti, certe non debet dici gravis, quia hic habetur nedum levitas materiæ, sed etiam levitas contemptus. Ita Cæteranus in Summa verb. Contemptus, Armilla eod. verb. num. 3. Sotus, Corduba, Valentia, & alii, quos citat & sequitur Sanchez cap. 1. num. 11. Lessius lib. 2. de Justitia cop. 46. circa fin. Quart. in rubr. missalis quest. proemial. sect. 2. punct. 5. vers. Secunda Sententia: & alii passim.

Peccatum autem veniale tantum erit in canone omittente speciale Communicantes, vel Hanc igitur, quæ in certis specialibus tantum diebus leguntur, dummodo legantur ordinaria, seu communia. Item veniale tantum erit omittente præfationem propriam in certis anni solemnitatibus, dummodo legatur communis, & ordinaria. Item veniale tantum erit omittente partem non notabilem verb. grat. psalmum *Judica me Deus* in principio missæ, collectiam, seu commemorationem aliquam; *Gloria in*

*excelsis*; *Credo*. Sequentias; *Lauda Sion Salvatorem*, *Vitima Paschalis*, *Veni Creator Spiritus*, *Stabat Mater*, *Dies iræ*, & hujusmodi. Item veniale tantum erit omittente aliquam prophetiam, seu epistolam in feriis quatuor temporum; quando plures legendæ occurrunt, cum sint partes missæ valde extraordinariæ, & accidentales. Item omittente evangelium ultimum speciale loco evangelii Sancti Joannis in fine legendum. Quinimo Tamburin. opusc. de sacrificio lib. 2. cap. 5. num. 5. La Croix lib. 6. part. 2. num. 424. & alii volunt, quod omittente evangelium Sancti Joannis, aut aliud speciale ejus loco legendum, sit tantum peccatum veniale, quia vel non est stricta pars missæ, cum ipsa denotetur completa per verba: *Ite Missa est*, vel non est pars ordinaria, aut notabilis. At vero Suarez de Sacram. tom. 3. disp. 88. sect. 2. Quart. loc. cit. sect. 3. punct. 5. in fine; & alii probabilius docent, hoc tempore vere pertinere ad integritatem missæ, quia licet olim non fuerit in usu, facta tamen ea introductione est vere pars missæ æque ac aliæ, adeoque, &c.

Item veniale tantum est omittente orationes dicti solitas inter induendas sacras vestes. Henno tom. 2. tract. de Eucharistia, sacramento disp. 11. quest. 15. conclus. 2. resolut. 4. Henriquez, Aversa, Rodriguez, Casaretopal. Gobat citati, & secuti à La Croix. lib. 6. part. 2. num. 425. ubi dicitur hanc esse Communem sententiam contra Navarrum, Azorium, Gavanti, Silvestri, & alios dicentes esse mortale. Quinimo Quart. in rubric. missalis part. 2. tit. 1. sect. 4. dub. 8. cum aliis ibi citatis, Pasqualig. quest. 815. & alii nullum per se loquendo in hoc agnoscunt peccatum, quia dicunt se nullibi hoc invenire præceptum, cum Rubrica quoad hoc sit tantum directiva.

Omittere preces ante missam legè solitas, quæ in missali dicuntur *Preparatio*, nullum est peccatum, dummodo Sacerdos sit altunde sufficienter preparatus, quia de his precibus recitandis nullum est præceptum, & à rubrica signantur dicende arbitrio Sacerdotis, videlicet *Pro temporis opportunitate dicat*, Henno loc. cit. resol. 4. Aversa d. 11. sect. 12. §. Septimo: *Gastald. in praxi lib. 2. sect. 7. cap. 1. Quart. loc. cit. part. 2. tit. 1. sect. 1. dub. 4.* & ipso teste alii communiter. Idem dicendum est de hymno, *Benedicite*, & psalm. *Laudate*, & aliis precibus pro gratiarum actione post missam recitari solitis. Bonart. de missa, lib. 2. cap. 34. La Croix loc. cit. num. 414. Quart. loc. cit. part. 2. tit. 12. dub. 3. & alii passim, qui omnes tamen concludunt, consultum esse ipsa recitare tam ante, quam post celebrationem missæ, aliasque similes pro devotione Sacerdotum.

Manuum lotionem omittente ante celebrationem missæ peccatum veniale est, si ipsæ manus sint immondæ, cum id faciat singulariter ad reverentiam sacrificii. Sic docent multi apud Dianam part. 1. tract. 12. resol. 19. Gobat tit. 1. tract. 3. num. 828. & alii. Immo Quart. loc. cit. part. 2. sect. 1. tit. 1. dub. 5. dicit esse mortale omittente dictam lotionem, si manus sint notabiliter immondæ, & sordide, quia id vergeret in magnam Sacramenti irreverentiam. Post missam autem omittit lotionem manu nequidem veniale est. Quart. loc. cit. part. 2. tit. 12. dub. 14. La Croix loc. cit. num. 413. & alii contra alios.

An, & quale sit peccatum celebrare missam nondum recitato Matutino. Vid. o. Matutinum à num. 19. ad 23.

Veniale tantum est omittente aliquas benedictiones, cruces, deosculaciones altaris, genuflexiones, inclinationes, manuum, & oculorum elevationes, & hujusmodi, quia non sunt ritus graves, dummodo tamen non omittantur plures simul quantitate notabilem constituentes, quia in tali casu notabilis quantitas omissa esset peccatum grave. Sic pluribus citatis Quart. loc. cit. quest. proemial. sect. 4. punct. 6. vers. Quoad reliquas Cæremonias: La Croix loc. cit. num. 422. & alii.

Omittere primam ablutioem calicis faciendam cum vino, & ipsam facere cum sola aqua, secluso contemp-

tu, & animo inducendi novum ritum, est solum peccatum veniale, quia non videtur materia tam gravis, sicuti si omitteretur simpliciter, & absolute purificatio. Quartus loc. cit. *vers. Respondeo in Tambur. de Sacrific. lib. 4. cap. 9. num. 4. La Croix loc. cit. num. 423. & alii. Immo nullum esset peccatum, si celebrans esset absterge- mus vinum abhorrens, & solum illud modicum conse- cratum bibens; Sic Doctores citati, & alii. In secunda autem purificatione, & digitorum abluione uti sola aqua, vel solo vino, probabiliter nequidem peccatum veniale est, quia rubrica non videtur præceptiva circa purificationem, & abluionem cum vino, & aqua, quamvis enim præcipitur purificatio, & ablutio, non tamen præcipitur illius modus. Sic Doctores citati, & alii contra alios probabiliter tenentes esse peccatum veniale.*

25. Addere in sacrificio missæ aliquid valde notabile ultra ea, quæ in rubricis præscribuntur, ex genere suo est peccatum mortale, & quidem gravius, quam ali- quid valde notabile omittere, quia id expressius prohibetur in Bulla Sancti Pii V. incip. Quo primum in in principio missalis impressa, & in Conc. Trid. sess. 22. in decret. de observand. & vitand. in celebratione missæ. Tum quia culpa commissionis ex genere suo gravior est, quam culpa omissionis, quia in commissione plus concipitur de voluntario, quam in omissione, & additio est magis exposita periculo erroris, & superstitionis, quam omisso.

26. Addere aliquid, quo mutetur sensus formæ conse- crationis, est grave sacrilegium, & tunc non concipitur sacramentum, ut si dicatur: *Hoc est Corpus meum fantas- ticum, seu æreum*; Talis enim additio falsum continet, & sensum destruit, *Communis*; Si vero addatur aliquid non destruens significationem formæ, quod ta- men sit contra ritum Ecclesiæ, tunc conficitur sacra- mentum, sed Sacerdos graviter peccat, ut si dicatur: *Hoc est Corpus meum formatum de virgine*; Licet enim per hanc formam conficiatur adhuc Sacramen- tum, cum sit solum mutatio accidentalitatis, & perseveret essentia veræ formæ; tamen Sacerdos peccat mortaliter, quia in re tam gravi, & sacrosancta addere vel verbum vel ritum præter Ecclesiæ consuetudinem est summa temeritas, & abusus intolerabilis. *Communis*.

28. Addere aliquid animo, & intentione inducendi novum ritum in sacrificio missæ, est peccatum mortale, hoc enim sub gravi prohibetur a S. Pio V. in cit. const. incip. Quo primum in: & a Concilio Tridentino cit. sess. 22. in decret. de observ. & vitand. in celebra- tione missæ.

29. Addere aliquid etiam sine animo, & intentione mutandi ritum, si additio sit in notabili quantitate & circa ea, quæ publice recitantur, est peccatum mortale. *Communis*. Si additio sit in notabili quantitate, & solum circa ea, quæ secreto recitantur, adhuc probabilius est gravis culpa; quia sic Sacerdos sacrum ministerium secretis precibus omnino ab illo distinctis interrompet, & quamvis scandalum non ingereret, se exponeret periculo errandi, cum notabilis additio multum distra- hat. Sic *communior Doctores*.

31. Si vero additio fiat in modica quantitate, & verba, seu gesta addita sint secundum se pia, honesta, & sa- lutaria, ut si in elevatione Hostiæ Sacerdos dicat: *Adoro te Jesu Christe*, & hujusmodi, & in depositione Ca- licis ejus pedem deosculetur, & hujusmodi, tunc se- culus animo inducendi novum ritum, nullum est pec-

catum cum sit parvas materiæ, & modica privata, pia, & salutaris devotio. Sic *Doctores magis communiter*.

Addere in missa unam collectam, seu orationem 38 ultra præscriptas secundum Pasqualig. *quest. 215. La Croix loc. cit. num. 419. & alios*, nullum est peccatum; Excusat enim propria devotio, vel alia quævis ratio- nabilis causa; contra Gobat *tom. 1. tract. 3. num. 748.* ubi dicit, id faciendum sine peculiari causa damnari peccati venialis.

Addere in missa Gloria in excelsis, aut Credo, cum 33 omitendum sit, est solum peccatum veniale; Nisi tamen hoc fiat cum magna deformitate, & scandalo, ut si addatur in missa de Requiem. Aversa *q. 11. sect. 13. §. Sexto. La Croix loc. cit. n. 429. & alii.*

Addere sub longo cantu ad Gloria in excelsis, aut 34 Credo, aliquam piam orationem, aut etiam recitare par- vas horas memoria retentas, nullum est peccatum. Go- bat *loc. cit. num. 753. Cajetanus in summa, verb. in Festo prohibita. num. 6. La Croix loc. cit. num. 430. Tannerus, & alii contra Tamburin. & alios probabilis volentes esse peccatum veniale.*

Mutare ritum missæ in rubricis designatur, d. g. 35 in festo duplici, seu infra Octavas privilegiatis recita- re missam votivam, seu de Requiem, si hoc fiat sine ulla rationabili causa, & ex mera propria volunta- te, semper est peccatum mortale quidem, si hoc fiat cum contempu, & scandalo. *Communis*. Nec enim loco- rum Ordinarii tam Seculares, quam Regulares possunt propria auctoritate, quovis prætextu, mutare ritum, qui habetur in Calendario Romano, in rubricis Brevia- rii in altiore ritum. Sic expresse decrevit Sacra Ri- tum Congregatio de mandato Urbani VIII. ut patet ex decreto ad literam dato sub verb. Officium Divi- num, art. 3. num. 88.

Mutare propria auctoritate, & voluntate præscrip- 37 tas preces in alias, verb. grat. unam epistolam in aliam, unum evangelium in aliud, & hujusmodi, si hoc fiat cum magna deformitate, & scandalo, uti esset in mis- sa Nativitatis, Paschalis, seu Pentecostes recitare epis- tolam, & evangelium missæ defunctorum, est grave peccatum; si autem consimiliter mutatio fiat cum parva deformitate, & sine scandalo, poterit aliquando esse so- lum peccatum veniale; *Communis*.

Mutare imperfecte aliquas actiones, verb. grat. bre- 38 viore facere cruces, non perfectas genuflexiones, non rectas inclinationes, & hujusmodi, seu scissio scandalo, & contempu, est ad summum veniale peccatum, *Communis*.

Invertere partes ejusdem orationis, verb. grat. reci- 39 tare unam orationem ante aliam, unam prophetiam seu epistolam ante aliam, & hujusmodi, est solum pecca- tum veniale. Invertere autem voluntarie partes diver- sæ rationis, seu dissimiles, ut legere evangelium ante epistolam, & hujusmodi, est peccatum mortale, quia hic intervenit magna deformitas, contempus, & scan- dalum; Sic Doctores passim.

Alia ad rem, vide verb. Minister Sacramentorum, 40 verb. Missa, verb. Officium Divinum, verb. Resolutiones Sacr. Congreg. Tom. X.

RUMOR. Vide verb. Fama num. 12. 33.

SAB-

## SABBATUM.

### SUMMARIUM.

- 1 **S**ABBATUM est ultimum hebdomadæ dies.
- 2 Sabbati nomen non solum indicat septimum hebdomadæ diem, sed insuper totam significat hebdomadæ.
- 3 Sabbatum in Testamento veteri erat dies festus desig- natus divino cultu.
- 4 In novo autem Testamento fuit abrogatus dies sabbati, & pro eo ab Ecclesia institutus dies Dominica.
- 5 Dies Dominica fuit semper celebris ex tempore Apostolorum.
- 6 Unde modo non est cessandum sabbato a labore, sed dies Dominica, & aliter facientes excommunicantur.
- 7 Dies Dominica fuit pro die sabbati institutus variis de causis, & mysteriis, quæ assignantur.
- 8 Quidquid sit de aliis, certum est principale motivum, & mysterium esse gloriosam Resurrectionem Domini Nostri Jesu Christi, intuitu cuius SS. Apostoli ceperunt celebrare Pascha die Dominica.
- 9 Sabbato olim, & feria 6. jejunabatur, quia in utroque die mesi fuerunt Apostoli.
- 10 Item Sabbato olim jejunandum erat ob reverentiam sepulchræ Domini.
- 11 Sabbato magno, id est, sabbato sancto ordinari, seu consecrari potest Episcopus.
- 12 Sabbato sancto campanæ non possunt pulsari in aliqua Ecclesia, etiamsi Regulari, ante pulsationem in Ecclesia Cathedrali, vel Matrice sub pena ducatorum centum.
- 13 Tam in Ecclesiis Regularibus, quam secularibus.
- 14 Etiam in Ecclesiis S. Joannis Hierosolymitani, etiam prope, & extra muros existentibus, & etiam in Ecclesiis Confratrum.
- 15 Etiam si adis Ecclesia Collegiata, quæ habeat omni- modam præcedentiam supra matricem.
- 16 Regulares ratione hujusmodi pulsationis in sabbato sancto possunt conveniri coram loci Ordinario.
- 17 Nisi constructo in contrarium esset legitima, vel Ecclesiæ multum distarent.
- 18 Sabbato præsertim prohibuitur est Christianis inser- vire Hebrais accedendo eis ignem, & lumina, præ- parando comestibilia, & hujusmodi.
- 19 Sabbato sancto, sicuti & feria quinta in Cena Do- mini non potest ullo modo, & a quocumque dici mira privata.
- 20 Subneantur Supplementa Auctoris, ad num. 30.

**S**ABBATUM est ultimum hebdomadæ dies significans diem illum septimum, quo Deus Creator completa sex diebus Mundi creatione quievit; *Gen. 2. num. 1. ibi: Et requie- vit die septimo ab universo opere, quod paravit.*

Sabbati nomen non solum indicat septimum heb- 2 domadæ diem, sed insuper totam significat hebdoma- dam, ut clare colligitur ex pluribus evangelicis texti- bus, & signanter ex Luca 18. num. 22. ubi Pharisæus jactantiam, & vanam gloriam preferens dicebat: *Je- junio bis in sabbato*, non quod bis jejunaret in uno solo eodem die Sabbati, sed quia, ut explicat Sacri Inter- pretes, pro sabbato intelligebat totam hebdomadam, uti communiter nomine sabbati totam integram hebdomadam intelligebant Hebræi, quia sua pro devotione, & voluntaria poenitentia bis in hebdomada nempe die Lunæ, & die Jovis jejunare solebant, & sic in praxi habebat Pharisæus, unde dicebat: *Jejunio bis in sabbato*, id est, bis in hebdomada. Idipsum clare demonstrant verba Sanctorum Evangelistarum Marci, Lucæ, & Joannis narrantium magnum pietatis opus illarum

FERRAR. BIBLIOTEC. TOM. VIII.

sanctarum mulierum, quæ emptis pretiosis aromatibus die Resurrectionis Dominicæ valde mane iverunt ad monumentum, ut ungerent Sacratissimum Corpus Je- su, Marci 16. num. 2. ibi: *Et valde mane una sabbato- rum veniunt ad monumentum orto jam sole; Luca 24. ibi: Una autem sabbati valde diluculo venerunt ad monu- mentum portantes, quæ paraverant aromata; Joan. 20. n. 1. ibi: Una autem sabbati Maria Magdalene venit ma- ne, cum adhuc tenebræ essent ad monumentum, quæ ver- ba dictorum Sanctorum Evangelistarum non denotant diem Sabbati septimi hebdomadæ dici, sed intelligunt, & designant primum hebdomadæ diem, qui erat Domi- nica, in qua resurrexerat Dominus noster Jesus Chris- tus: Dies enim Sabbati jam plene transierat, ut expresse habetur Marci 16. num. 1. ibi: *Et cum transisset sabba- tum, Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum.* Et statim sequitur, *Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monu- mentum orto jam sole.* Hinc clarum stat, quod nomen Sabbati pro tunc non indicabat solum ultimum, seu septimum hebdomadæ diem, sed insuper totam signifi- cabat hebdomadam, seu quamlibet hebdomadæ diem.*

Sabbatum in Testamento veteri erat dies festus 3 designatus divino cultu, ut patet ex Exodi 16. num. 13. ibid. cap. 20. num. 8. 10. & 11. Ibidem cap. 31. num. 13. 14. 15. & 16. & Levitici cap. 16. num. 21. ibidem cap. 19. num. 3. & 30. ibidem cap. 23. num. 3. 11. 15. 24. 32. 38. 39. ibidem cap. 26. num. 2. In novo autem 4 Testamento fuit abrogatus dies Sabbati, & pro eo ab Ecclesia institutus dies Dominica. Concil. Laodicense cap. 29. cap. Pervenit 11. dist. 3. de consecr. cap. Omnes dies Dominicos 1. de Feriis. Dies enim Domini- cae fuit semper celebris ex tempore Apostolorum. 5 Concil. Colonien. II. part. 9. cap. 9. ibi: *“Diligenter quoque populus admonendus est, cur feriat, & po- tissimum dies Dominicus, qui à temporibus Aposto- 6 rorum in Ecclesia Dei semper celebris fuit, instituta sint; Nempe ut tum in unum omnes pariter conveni- rent ad audiendum verbum Domini, ad audiendum quoque sacrum, & communicandum, breviter, ad vacandum Deo soli, ut dies illa tantum orationibus, hymnis, psalmis, & canticis spiritualibus transigaret.”* Hoc est enim sanctificare Sabbatum.

Unde modo non est cessandum Sabbato a labore, 6 sed die Dominica, & aliter facientes excommunican- tur. Conc. Laodicens. cap. 29. ibi: *“Quod non oportet Christianos judaizare, & otiosi in Sabbato, sed operari eos in eodem die. Præferentes autem in vene- 7 rratione Dominicum diem (si vacare voluerint) ut Chris- tiani hoc faciant. Quod si reperti fuerint judaizare, anathema sint à Christo;”* & concordat cap. Pervenit 11. dist. 3. de consecr. ex Gregor. I. lib. 11. Epist. 3.

Nec sine rationibus, & mysteriis fuit ab Ecclesia 7 pro die Sabbati institutus dies Dominica; pro quales- cim enim rationibus, & mysteriis à Deo operatis in tali die, dies Dominicus est institutus dies festus de præ- cepto, ut notavit Eminentissimus Cardinalis Ursinus Archiepiscopus Beneventanus, deinde Summus Ponti- fex sub nomine Benedicti XIII. in suis *dictissimis Lec- tionibus supra Exod. Lect. 29. num. 7. pag. 321. ut ex ipso Clericatus in suis Spiciis tom. 1. verb. Dominica. n. 81. Primum igitur mysterium est, quia ipso die Domi- nico incepit Mundi creatio. Secundum est, quia arca Noe ipsa die se stitit supra montes Armenicæ. Tertium est, quia ipsa die Hebræi à Pharaone fugientes Mare rubrum sicis pedibus transierunt. Quartum, quia ipsa die manna è celo cecidit in deserto pro Hebræorum*

Da vic-